



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Cap. XXXI. Cap. 12. de Regularibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Observat præterea, quòd, si illi Abbates se nullius esse Diœceseos contendant ex situ, sufficit, ut probent hanc circumstantiam, ad obtinendam manutentionem in omni Jurisdictione Episcopali; sin autem agnoscant, districtum suum includi in Diœcesi, manutententur tantum in capitibus, quæ legitime se præscripsisse probant. Idem argumentum tractat Auctor in *cap. 3. de Parochiis*, ubi distinguit triplicem modum, aut statum nullius Diœceseos, scilicet ex Origine, ex Privilegio, ex Præscriptione, eorumque discrimina exponit.

CAPUT XXX.

Caput 3. de Successionibus ab Intestato.

Textus hic loquitur de Oblatis, qui se suaque omnia bona Monasterio donant. Cum inter hos Oblatos nonnulli ingrediantur in Monasterium, atque in ipso ingressu donationem suam faciant, aliundè verò Concilium Tridentinum vetet, ne Novitii de bonis suis disponant, ante peractos decem Novitiatibus sui Menses. *cap. 16. Sess. XXV. de Regular. FAGNANUS* indè sumit occasionem querendi, an hæc dispositio Concilii Juranti quo deroget, quo licet Oblatis dare bona sua in ipso Monasterii ingressu? Respondetque negativè; quia Novitii, de quibus loquitur Concilium, multum ab Oblatis discrepant; hi enim non ingrediuntur ad faciendam Professionem, sed ad serviendum Monasterio; alii autem ingrediuntur cum spe faciendæ Professionis, exercitationes ad eam præparantes, peragunt, sumpto habitu Religioso. Itaque dispositio Concilii Juris communis dispositioni circa Oblatos non adversatur, qui, propriè loquendo, & circa significationem vulgarem verbi, *Novitius*, sub hoc nomine non continentur. Idem dicendum est de casu, quo ii, qui ingressi sunt ad Professionem faciendam, posito quòd idonei reperiantur, consilium mutarent, seque suaque bona Monasterio donarent. Quippe hi Novitii de suis bonis non disponerent, ex Voto suæ Professionis futuræ, itaque comprehendi non possent sub Decreto Concilii, quod non spectat, nisi Novitios in voluntate Professionis faciendæ perseverantes.

CAPUT XXXI.

Caput 12. de Regularibus.

Hic docet CLEMENS III. Parentes posse offerre Deo Filios suos infra pubertatem, eosque Monastico habitu induere, quem gestare usque ad eandem ætatem saltem tenebantur. Querit circa hoc FAGNANUS, 1. An Parentes eandem potestatem habeant post Concilium Tridentinum, quod vetuit admitti quemquam ad Professionem ante completos 16. annos, & annum probationis *cap. 15. Sess. XXV. de Regular.* Dubitandi ratio est, quia sic Concilium insinuat, Religiosum habitum dandum non esse, nisi post quindecim annos inchoatos; nihilominus Autor meritò contendit, Parentes etiamnum posse curare, ut Filiabus suis Religiosus habitus detur, ante ætatem duodenam, ut Moniales fiant, si consenserint, cum ætatem à Concilio requisitam attigerint.

Et, postquam id probavit ex principio, quòd emendatio juris una sit è rebus, quæ locum non habent, nisi in casibus expressis, Concilium autem nullibi emendet Canones, qui facultatem hanc Parentibus tribuebant, undè credendum est, jus illud subsistere; id probat denuò per *caput 17. Sess. XXV. de Regular.* ubi Concilium significat, esse puellas, quæ Religiosum habitum accipere possunt ante annos duodecim, dum vetat, ne detur eis, quæ duodecim annos compleverunt absque examine Episcopi, qui judicabit, an spontè illum accipiant, rationemque afferens,

cur Concilium non exigat examen ergà puellas illi ætati inferiores, dicit 1. illud iis prodesse non posse. 2. Aliam eas voluntatem non habere, quam Parentum, qui eas idè etiam invitas Monasterio includere valeat, usque ad annos discretionis. Id etiam probat per *caput 18. ibid.* quod, vetans ullam puellam aut mulierem ad accipiendum habitum cogi, casus excipit, in quibus id expressè permittitur; undè sic ratiocinatur, Concilium plures casus excipit, quos in jure expressos dicit, alii autem non reperiuntur, quàm is in quo puella Votum Religionis emisit, & ille, in quo à Parentibus aut Tutoribus offertur; nulli enim videtur, Canones permittere, ut personæ Sæculares Monasteriis ad faciendam penitentiam includæ, cogantur ad sumendum habitum, imò neque etiam apparet, eos permittere, ejusmodi personas domibus Religiosis invitas includi.

Objici posset adversus hoc ultimum momentum, *fnis cap. 18.* laudati, qui ab hoc capite *Conversas* excipit, ergà quas vult, ut eorum Constitutiones serventur. Sed dici potest, exceptionem hanc ad rem non pertinere, quia posterior est iis, quas jam fecerant Canones anteriores. Præterea, hæc mulieres non solum ab hoc capite excipiuntur, sed etiam à præcedentibus sumptionem habitus, Novitiatum & Professionem spectantibus. FAGNANUS in *cap. 16. de Regular. n. 29. & seq.*

Quæstioni, cujus summam exhibuimus, duas FAGNANUS subnequit. 1. est, An Parentes & Tutores possint in Religionem mittere pueros infra annos 14? & respondet, posse; idque probat ex paritate rationis, cum puerorum hæc in re conditio melior non sit, quàm puellarum. Id etiam probat ex *cap. ultim. de tempor. ordin. in 6.* quod vetans Tonsuram dari pueris infra sex annos constitutis, excipit eos, qui Religionem ingrediuntur. Ultima quæstio est, an expediat puberes in Religionem mitti, habitumque accipere? Circa hanc prolixè disputat: rationes atque autoritates in utramque partem afferendo, & demum decisionem dimittit ad viros in vitâ Religiosâ expertos.

CAPUT XXXII.

Caput 15. de Renunciationibus.

GREGORIUS IX. hic declarat nullam, demissionem Abbatis suæ Sedi immediati sine suâ autoritate admissam. Cum per demissionem solvatur vinculum non sperendum, idè admitteri nequeat, nisi autoritate Superioris; sicut etiam in transitu ab unâ Religione in aliam, rumpitur vinculum insignis; idè ad id concurrere debeat autoritas Superioris. FAGNANUS hac occasione utitur ad loquendum de autoritate, quâ Religiosus à suâ Religione ad aliam transferri potest; & consequenter ad exponendum finem *Cap. 19. Sess. XXV. de Regular.* Ibi, præ cæteris rebus, prohibetur, ne quispiam transferatur cujuscunque facultatis vigore. In hac expositione, refutatis iis, qui putant Concilium ibi duntaxat vetare translationes justâ causâ destitutas, aut non juridicas, probat ibi etiam agi de translationibus in justâ causâ fundatis, ut patet ex verbis generalibus *nemo, & cujuscumque*, quibus Concilium utitur, atque ex hoc *vigore*; tum observat, quòd, si Concilium de translationibus duntaxat justâ causâ carentibus egisset, adhibuisset verbum *colore* aut *prætextu*; denique, contendit, Concilium prohibere translationes, quæ fiebant ex vi privilegii, aut aliis cujuscunque Juris, quod Superiores Sæculares exercebant.

CAPUT XXXIII.

Caput 12. de Judiciis.

Hic docet INNOCENTIUS III. interpretationem privilegiorum Sedis Apostolicæ ad Pontificem pertinere; proindeque ipsius esse munus judicandi